COMMENTATIO
PATHOLOGICO-ANATOMICA
DE
OSTEOGENESI VALVULARUM CORDIS PRAETERNATURALI

AUCTORE

CAROLO AUGUSTO HERING
MEDICINAE AC CHIRURGIAE DOCTORE

CUM TRIBUS TABULIS AENEIS.

LIPSIAE, APUD C. H. RECLAM
1820.

VIRIS

ILLUSTRIBUS, IURIUM CONSULTISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS,

DOCTISSIMIS, OPTIME MERITIS

CONSULIBUS CETERISQUE ADSESSORIBUS
SENATUS CHEMNITZIENSIS

FAUTORIBUS AC PATRONIS SUMMA PIETATE
VENERANDIS

HANCCE DISSERTATIONEM OBSERVANTISSIME

OFFERT

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Ex quo tempore nuper anatomiae pathologicae plus studii, quam olim factum est, dicatum, diligentiusque in extispicia aegrotorum inquisitum fuit, vix ullus reperietur, qui negare ausit, indagationem morborum anatomicam naturae eorum cognoscendae multum profuisse adeoque diagnostices incrementa promovisse. Nam sola symptomatum morbi cuiuscunque cognitio, neglectis mutationibus organicis, quas symptomata illa gignunt, non nisi confusam atque inordinatam morborum internorum scientiam efficit. Quam ob rem Exper. FARRE [1]), medicus inter Anglos haud ignobilis, recte contendit, eum, qui nunquam phaenomena morbosa, in cadaveribus obvia, cum historia morbi comparaverit, non nisi opiniones dubias atque incertas de sede atque forma morbi prolaturum esse. Quoties accidit, ut medici aegrotum hunc vel illum aut hepate, aut corde, aut cerebro laborare statuant, qui post mortem, sanis hisce visceribus, e causa penitus diversa aegrotasse reperitur? Huic autem tam vagae conjecturae de certa atque finita morbi

1) Pathological researches. Essay 1. On malformation of the human heart. London 1814. Cof. *Neue Sammlung auserl. Abh.* 1815. Bd. I. St. 3. S. 374.

natura non nisi empirica eidem medendi ratio convenit. Quae hisce verbis subiicit Celeb. FARRE, ea tam clare ostendunt commoda, ex anatomiae pathologicae accurato studio in medicinae usum redundantia, ut, si ea hoc loco referam, Lectorum patientia abuti minime videar.

„Si in morborum curatione tantum symptomatibus gravioribus tollendis animum advertimus, causarum nulla habita ratione, morbos saepe graviores reddemus. Si de morbi natura non nisi ex ejus symptomatibus iudicamus, nec cum hisce symptomatibus partim phaenomena conferimus, anatomes ope in cadaveribus eorum reperiunda, qui hisce ipsis morbis fuere extincti, partim eorum invicem nexum definimus, scientia nostra non nisi manca manebit atque imperfecta."

„Sin morborum historias et phaenomena, in illis occurentia, persequimur, occasionem nanciscimur, certa quaedam ex illis signa separandi, quae morbis organorum singulorum peculiari modo propria sunt. Exploratio autem anatomica eorum, qui illis morbis defuncti sunt, nos docet phaenomena singularia morbosa, unde sedem atque naturam horum morborum cognoscere possumus, studetque phaenomenorum et inde repetendorum signorum invicem indagare nexum. Qua quidem opera difficili etiamsi non semper successu optato potiamur: ea tamen, quantum fieri potest, propius ad veritatem accedimus. Ea enim nobis contigit esse tam felicibus, ut diagnosin quorundam morborum internorum antea obscuram, nunc forsitan perfectam simus assecuti. Qui quidem felix successus nos impellere debet, ut hos labores utilissimos continuemus, etiamsi haud dubie nunquam eo perventuri simus, ut omnibus numeris absolutam illorum morborum cognitionem nobis comparemus."

Recte autem observat FARRIUS, nullam fere morborum classem tantis tenebris obvolutam esse, quam quae cordis morbos continet, quorum descriptiones, ad vitii praesentis naturam intelligendam aptae,

una cum signorum pathognomonicorum certa constitutione valde adhuc desiderentur; mutuam enim actionem systematis vasculosi et nervosi tantam esse, ut mirari haud debeamus, cum morbos organorum duorum diversorum inter se commisceri, aut centrum systematis unius interdum pro sede morbi systematis alterius haberi videmus. In qua quidem sententia cum FARRIO consentit HOWSHIPIUS [2]), qui, experientia sua ampla ductus, diagnosin certam affectionum morbosarum cordis, aegroto vivo, semper maximis premi difficultatibus reperit, atque libere fassus est, se permultis cadaverum sectionibus edoctum esse, morbos cordis apud eos, in quibus vivis medici quam maxime celebrati eos ne hariolati quidem fuerint, reperiri; contra ea in multis aegrotis cor suspectum fuisse, cuius integritatem dissectio luculenter probaverit.

Opera praeclara nostris temporibus de cordis morbis edita, e quibus CORVISARTI, ALLANI BURNSII et TESTAE nominasse sufficiat, quamvis cognitionem horum morborum, frequentius, quam antea visum est, occurrentium, auxerint, eorumque pathologiam fere totam immutaverint; tamen multum adhuc abest, quin eorum disquisitio penitus sit absoluta. Nebulae, quibus involuti adhuc latent morbi huius organi gravissimi, quasque vel KREYSSIGII opus classicum dispergere omnes haud potuit, spem mihi suggerunt laetissimam, fore, ut etiam levior opella, qua ad illustrandum hoc ipsum argumentum aliquid pro virium mearum ratione conferre studui, a iudicibus aequis benevolisque haud omnino spreta rejiciatur.

---

2) Practical observations in surgery and morbid anatomy. Illustrated by cases; With dissections and engravings. London 1816. S. 181.

§. 2.

Historia literaria.

Quantam praestet studium historiae literariae utilitatem omnibus, qui de argumento quocunque copiosius disserere cupiunt, pluribus demonstrare haud opus est, cum illa nostris temporibus a nemine, nisi ignaro, in dubitationem vocetur. Multa enim, quae historiae literariae contemptores aut tanquam recens inventa stupent et maximis laudum praeconiis efferunt, aut de quorum inventorum gloria sese ipsos maxime felices praedicant, iam ab aliis praerepta atque, cum nullius essent utilitatis, meritae oblivioni tradita deprehenduntur. Si igitur eorum, quae de quodam argumento scripta sunt, accurata notitia ipsis haud defuisset, profecto ignorantiae suae luculenta haud edidissent specimina, nec miseram corvuli, qui pavonis pennis sese exornaverat, in fabula sortem subiissent. Oleum operamque perderem, si haec fusius exemplis comprobare vellem. Ant. Joseph. Testa [3], vir gravissimus, egregium de cordis morbis opus orditur ab enumeratione eorum virorum, qui idem argumentum quondam persecuti sunt, bene gnarus, se ipsum tunc demum optimo cum successu in eadem materia pertractanda versaturum esse, si antecessorum operam optime sibi cognitam reddiderit. Quam ob rem hoc exemplum imitabor, cum mihi de singulari quodam cordis morbo curatius exponere, iam nunc animus est. Poterat quidem mihi objici, superfluam esse hanc meam operam, cum Testa omnia iam, quae a me proferri queant, occupaverit. At si Lectores conferre velint mea qualiacunque cum iis, quae in Testae opere leguntur, invenient quaedam emendatiora, quam ille protulerat, quaedam autem noviter addita. Omnibus autem

---

3) *Ueber d. Krankh. d. Herzens* aus d. Ital. v. *C. Sprengel* Halle 1813. p. 3.

numeris absolutam enumerationem, scriptorum, qui de illo morborum cordis genere, quod mihi tractandum sumsi, exposuerunt, dare, quamvis velim, haud tamen potero, quippe qui et temporis, elaborando huic libello dicandi, brevitate premor, et amplo librorum apparatu destituor.

Etsi, Plinio teste [4]), Aegyptii iam antiquioribus temporibus id curae cordique habebant, ut sectionibus cadaverum sibi notitiam causarum morborum in universum et inprimis cordis compararent: tamen, quae inde scimus, partim aeque incerta sunt, ac omnino antiquissima medicinae fata, partim minime ita comparata, ut inde in symptomatum, morbis organicis cordis propriorum, notitiam venire possemus. Neque summus Hippocrates, qui rationalem condidit medicinam, de cordis morbis pro materiae dignitate exposuit, sed tantum aliquoties ad huius visceris adfectionem morbosam respexit. Sic v. c. dolorem cordis (καρδιωγμὸν) [5]), tanquam signum infaustum, et suffocationem magnamque in cordis regione anxietatem, commemoravit, quam in uxore Polemarchi, quae quinto morbi die sensum collecti circa cor humoris habebat, et respirabat, velut in aquam demersi, ac sonum edebat ex pectore, qualem ventriloqui, observaverat [6]). Porro Chartadem febre ardente laborantem narrat sub alvi deponendae nisu magnam sanguinis ab initio fluidi, postea congrumati quantitatem perdidisse, anxietate

4) *Histor. nat.* lib. XIX. c. V. (sect. 26.) *in Aegypto, regibus corpora animalium ad scrutandos morbos insecantibus.* Unde haud dubie sua hausit Plin. Valerian. *de re med.* lib. IV. c. 1. *Contra phthiriasin succus ejus* (rhaphani) *adhibetur, qui solus potest tenuitate subtili ad imi corporis liniamenta cor penetrare. Aegyptii enim reges, quibus erat studium scrutari corpora mortuorum et causas valetudinum occulta fide recognoscere, in corde ips nasci ejusmodi vitium prodiderunt.*

5) Aph. IV. 65.

6) *Epid.* VII. 17. 2. 1. p. m. 843. ed. Lind.

circa cor et os ventriculi correptum esse, quae, procedente tempore, una cum inquietudine et respiratione frequentiore, aucta fuerit, mens primum constabat, paulo post autem aliter se habere videbatur. Nam nunc homines durius, nunc magis comiter, quam res ferebant, alloquebatur, et opinatus, aliquid ipsum subire velle, adeoque oculos in hoc ipsum defigens paulo post mortuus est [7]. Eratolai filio, dysenterico ab initio, versus quadragesimum diem in medio umbilici atque sterni admota manu tanta cordis palpitatio percipiebatur, quae neque a cursu, neque a terrore producitur [8]. Denique in libro *de morbo sacro* [9] disertis verbis dicitur: si materia morbosa ad cor delata fuerit, cordis palpitationem et anhelationem accedere, pectusque vitiari, quosdam etiam incurvari; id quod forsitan inde posse explicari putat Testa, quia aegri tales (intelligit autem aneurysmate cordis aut vasorum maiorum in cordis vicinia correptos) plerumque leventur, antrorsum corpus inflectendo. Mihi autem in h. l. aneurysmatis ne levissima quidem vestigia occurrere videntur: nam de catarrho tantum h. e. de collectione fluidi cuiusdam ad cor sermo est. Quam ob rem de hydrope pericardii potius, quam de aneurysmate cordis Hippocratem h. l. exposuisse putaverim. Hoc enim morbo laborantes multum levari corpore antrorsum flexo, et experientia probat, et Kreyssig: *l. c.* Th. II. p. 643. notavit. Quae si vera sunt, a veritate aberrat Testa *l. c.* p. 9. cum contendit, primum fuisse Galenum, qui huius morbi mentionem iniecerit.

Celsum nolim cum Testa inter eos collocare, qui morbis cordis aliquem in suis de medicina libris concesserit locum. Certe morbus

---

7) *Epid.* VII. 9. m. 833.
8) *Epid.* VII. 3. p. m. 826. ss.
9) Cap. VII. To. II. p. m. 332.

cardiacus [10]) ad cordis morbos, e mea quidem sententia, haud pertinet. Etenim illa signa, quae huic morbo tanquam propria tribuit Celsus, acuta morbi indoles, nimia imbecillitas, pulsus exiguus atque debilis immodica denique sudoris profusio, quibus e Plinio aliisque sitim ingentem addo, non competunt cordis morbo, sed occurrunt omnia in febre sic dicta sudatoria Anglorum, quae seculo decimo quinto exeunte et decimo sexto epidemice per Europam grassata est. Lipothymiae, quae cardiaco morbo tanquam symptoma accedere Testa contendit, nulla penitus mentio a Celso iniicitur.

Copiosius, quam qui ipsum antecesserunt, de cordis morbis exposuit Claud. Galenus [11]), qui non, ut allati scriptores, symptomata tantum quaedam, unde adfecti cordis praesentiam suspicari licet, sed morbos cordis nonnullos, v. c. inflammationem, porro hydropem pericardii, hydatides, et indurationes cordis etc. commemoravit. Inter hos morbos iuvat inprimis Antipatri medici morbum adferre, qui post febrem superatam insigni pulsus turbatione vexabatur, quam, cum respiratio nullo vitio laboraret, susque deque habebat. A Galeno, de periculo imminente commonefactus, neglecti consilii poenas luebat: sex enim mensibus post subito anxietate et cordis palpitatione correptus moriebatur. Qui quidem morbus a valvularum cordis ossescentia pependisse mihi videtur. Alios aegrotos e syncope cordisque palpitatione subito vita decessisse idem narrat, quorum unus servatus sit venaesectione [12]).

Etiam Aretaeus [13]) animi deliquium, quod ὠκύφονον h. e. celeriter interimens nominat, inter cordis morbos refert, quorum signa

---

10) *De re med.* lib. III. Cap. 19.

11) *De locis adfect.* lib. V. p. 296—298. ed. Basil. 1538.

12) *Comment. in Hipp. aphor,* II. p. 248.

13) *De caus. et sign. acut. morb.* II. 3. p. 13. ed. Boerh.

pathognomonica sint palpitatio, vertigo, animi deliquium, stupor et paralysis artuum, sudores immensi, frigus, anaesthesia universalis, aphonia, conscientia non sublata. Alio loco [14]) causam anhelitus et asthmatis in corde esse repositam, neque aegrotum hoc diu ferre posse contendit. Secundum COELIUM AURELIANUM [15]) iam Erasistratus et Asclepiades cor in morbo cardiaco pro parte primitus affecta habuerant, quorum posterior accurate distinguit morbi huius formam, quae ex vitiis cordis idiopathicis originem trahit, ab ea, quae exventriculi vitiis oritur, et cum illa pulsum valde debilem, palpitationem cordis vehementissimam, pectoris anxietatem atque suffocationis periculum, cum hac autem pulsum quidem fortem, cordis contra ea contractiones debiles conjunctas esse adserit. De qua quidem Asclepiadis sententia cum COELIUS decernere haud ausus fuerit, sedemque morbi in obscuro reliquerit, lucem ei adfudit PAULUS, a patria AEGINETA dictus [16]). Is enim in idiopathica cordis affectione, sive ea, quae ab inflammatione, sive a vulnere, sive denique a vehementi dyscrasia pendeat, subitam consequi mortem, in symptomatica autem cordis affectione, ubi vitium in corde, hepate, er cardia proprie haereat, aut ubi vehementes iique deprimentes animi motus praecesserunt, syncopen oriri adserit, h. e. subitaneam virium prostrationem, cuius diagnosis repeti debeat a resolutionibus, animi deliquiis, exiguo pulsu, atque partium extremarum frigore et ingenti sudoris profusione. Quae ALEXANDER TRALLIANUS de syncope habet, ea ad cordis morbos haud pertinent; etenim varias syncopes formas non nisi a male adfecta cardia derivat [17]). His graecis scriptoribus addere liceat omissos a TESTA

14) *Acut. morb. sign. et caus. II. 1.*
15) *Acut. morb.* lib. II. c. 34. p. 154. ed. Almelov.
16) *Totius med. enchirid.* interpr. Alb. Torino, III. c. 54. p. 216. ed. Bas. 1547.
17) Libr. XII. c. 3. p. 699.

Aetium Amidenum, Theophanem Nonnum, Oribasium, atque Actuarium, quorum primus quae habet de cordis tremoribus [18]), ea omnia e Galeno sunt hausta, nec novi quid adferunt; secundus [19]) cor nullis morbis adfici posse opinatur; in febribus autem incalescere, quapropter febrifuga remedia ipsi admoveri debere; in societatem morbi autem trahi cardiam. Cujus quidem adfectae symptomata cum e Paulo Aegineta hausta sint, omitto. Oribasius autem de cordis palpitationibus Aetiana tantum, in compendium missa, exhibet [20]). Actuarius denique cordis proprios morbos habet frigora et calores, quae primario vitio illi contingant, tum qui ob aliorum membrorum antea laborantium affectum quempiam, habitus affectionesque accedunt, cuiusmodi sunt animi deiectiones, motus ratione carentes, palpitationes, syncopae, et quodcunque primum eo refertur [21]).

Arabum medicorum scriptis fere nihil lucis accessit doctrinae de morbis cordis organicis. Unus Avenzoar [22]) reliquis omnibus praestat, qui non nisi a Graecis, inprimis a Galeno accepta, recoxere. Narrat enim ille de exulceratione cordis, quam a veteribus negatam ipse in aegroto conspexerit, qui multum emaciatus, morosus atque impatiens, balneo calido contra medici voluntatem usus, in eo animam efflavit. Necessario sectio cadaveris erat ab Avenzoare instituenda, ut huius repentinae mortis caussam indagaret, indagatamque in exulcerato corde reperiret.

---

18) *Tetrabibl.* serm. VIII. c. 58.

19) *Epitome* c. 134. ed. Bernard. cuius videatur nota ad h. l. contrarias de hac ipsa adsertione opiniones adferens.

20) *Synops.* lib. IX. c. 6.

21) *Method. med.* I. c. 7. Conf. et. ea. quae idem de horum morborum curatione tradidit lib. IV. c. 5.

22) *Theisir* lib. 1. tract. 12. c. 7.

Barbaros sic dictos medii aevi scriptores silentio praetermitto.

Quum seculo decimo quarto anatomiae studium, quod hucusque sine cadaverum sectionibus e solo GALENO hauriebatur, nunc laetiores progressus faceret, corporibus humanis anatomicorum cultro subiectis, coepit quoque morbosarum corporis humani partium indagatio frequentior fieri. Inter scriptores huius temporis mentionem facio inprimis MUNDINI [23]), Professoris Bononiensis, quem constat anno MCCCXV. primum duo corpora muliebria et tertium anno MCCCXVI. publice incidisse, atque in sua anatome, quae tantam suo tempore auctoritatem adepta est, ut legibus caveretur, ne praelectiones anatomicae super alium librum, quam super hunc, haberentur, de morbis cordis atque eorum signis, de passione cardiaca, inquietudine, palpitatione etc. nec non de periculo magno inde oriundo, claris verbis exposuisse. Quod seculo decimo quarto coeptum est, id magis excoluit diligentiusque persecutum est seculum sequens. Nam illo, qui florebant scriptores, frequenter observarunt syncopen, cordis palpitationem aliaque incommoda, quae, TESTA teste, haud dubie sectionibus edocti pro cordis idiopathicis morbis habuerunt. Sic IOANN ARCULANUS [24]) venae sectione animi deliquio atque periculis ex inflammatione et suppuratione cordis oriundis, occurrit. HUGO BENTIUS [25]), Senensis patria, Professor Ferrariensis, narrat morbi historiam, in quo sub debilitate universali in utroque brachio pulsus aliquamdiu plane deficiebat. ANTONIUS CERMISONUS [26]), Professor Ticinensis et Paduanus, vehementem cordis palpitationem,

---

23) *Anatome.* c. XX. Venet. 1494. 4. HALLER. *bibl. anat.* to. 1. p. 146. hanc editionem maxima forma prodiisse falso contendit.

24) *Expos. in lib. Rhazis nonum ad Almansorem* p. 505. ed. Basil. 1540.

25) *Consil.* f. 27. d. 28. a. ed. Venet. 1518.

26) *Consil.* f. 18. d. et f. 20. c. ed. Venet. 1518.

cum doloribus coniunctam, in femina a caussa hysterica derivavit, alioque loco commemoravit arteriarum in regione cardiaca pulsationem, quae TESTAE videbatur pendere ab expansione vasorum illorum praeter naturam facta. BARTHOL. MONTAGNANA [27]) multa commemoravit symptomata, quae ex idiopathicis cordis vitiis solent oriri. Sic ex vehementi palpitatione cordis et syncope cum pulsu tremulo mortem observavit subitaneam, causamque eius quaesivit in materia aliena inter cor et pericardium collecta, quae diastolen iustam cordis impediret. Observavit praeterea pulsum dicrotum et tremulum ex vitio cordis organico, qui timorem ipsi mortis subitaneae movit.

Sed demum exeunte hoc seculo duae observationes ossificationum in corde occurrunt, quas, huius generis primas, celebri BENIVENIO [28]) medico Florentino, debemus, qui suo ipsius exemplo alios ad diligenter observanda morbosa corporis humani phaenomena excitavit hincque anatomiae pathologicae primus stator nominari meruit. In cadavere nempe hominis, qui per triduum vehementissima febre inflammatoria cum anhelitu et asthmate laboraverat, callosum in ventriculo sinistro invenit corpus nucis magnitudine, quod TESTA l. c. p. 18. pro polyposa concretione, e mea quidem sententia, haud recte habuit; mihi enim ossificatio potius fuisse videtur, quae et alio in aegroto adfuit, cuius historiam brevissimam LIEUTAUD. l. c. ex BENIVENIO attulit. Scilicet in viro consistentis aetatis, qui per multos annos cordis palpitatione laboraverat, cuiusque pulsus sex ante obitum mensibus quasi oblitteratus fuit, callum ad osseam duritiem accedentem, reperit in arteria magna, loco cordi proximo.

---

27) *Consil.* No. 114. fol. 146. et No. 266. fol. 300. ed. Venet. 1564.
28) *De abd. morb. caus.* obs. XXXV. et apud Lieutaud. L. II. obs. 563.

Seculo decimo sexto anatomia magis exculta multos errores proscripsit, de quorum vanitate antea ne levissima quidem dubitatio animos subiit. *Os immortalitatis* dictum, quod superiorum seculorum ignorantia natum, omnis gravitatis expers, neque igne, neque aliis viribus destruendum, invisibile esse et quasi nucleum offerre statuebatur, unde resurrectionis tempore novum corpus humanum excresceret. Huius ossis vanitatem, quam ipse Vesalius aperte aggredi et demonstrare haud ausus est, probavit Jo. Riolanus iun.

Sed et ad alios errores confutandos novumque lumen morbis gravibus, de quibus loquimur, accendendum utiliter adhibita est hoc seculo anatome. Nam multa vitia cordis organica a scriptoribus huius seculi fere omnibus subtiliter esse explorata et probe diiudicata constat. Cuius adsertionis probandae caussa Testa l. c. adfert Guidonem Guidi [29], coagulationes polyposas in ventriculis cordis a se inventas describentem; et Nic Massam [30], qui ulcus ventriculi dextri, usque ad valvulas, inde destructas, delapsum, aliud, quod auriculam dextram plane consumserat, reperit, denique maximam etiam cordis expánsionem observavit. Vesalius [31] in cadavere viri docti, melancholia adfecti, qui mira pulsus perturbatione, tandemque cruris sinistri gangraena laboraverat, adeo immensum polypum, ventriculi sinistri cavitatem replentem, ut pondus librarum duarum aequaret, tantamque cordis enormitatem animadvertit, ut ad uteri magnitudinem accederet. Idem magnus anatomicus aneurysma aortae in viro, cui ab ictu equi dolor vehemens in dorso et tumor in pectore pulsans erat ortus, observavit. Sed nolo diutius presso pede sequi Celeb. Testam, sed potius, omissis quam plurimis scriptori-

---

29) *De curat. memb.* L. VIII. c. 16. p. 360. ed. Francof. 1626.

30) *Anat. lib. introd.* c. XXII. ed. Venet. 1559.

31) *De corp. hum. fabr.* L. VI. c. 14. p. 515. ed. Albini.

bus huius aevi, ab eo commemoratis, qui non nisi de cordis vitiis in universum egerunt, singulasque huc pertinentes observationes literis mandaverunt, ad eos scriptores propius accedo, qui observationes nobis suppeditaverunt illorum cordis vitiorum, de quibus in hac dissertatione exponere animus est. In iis autem colligendis atque ordinandis omnem adhibui operam. Et AMBROSIUS PARAEUS [32]) quidem vidit in vestiario, qui ex aneurysmate arteriae venosae, quo nomine venam pulmonalem insigniebat, repente, dum pila palmaria luderet, rupto vase corruit, dissecto corpore, arteriae corpus dilatatum, internamque ipsius tunicam osseam. REALDUS COLUMBUS [33]) septum cordis cartilagineum deprehendit. VESALIUS et GEMMA [34]) ossa in corde inveniebant. WIERUS [35]) in imperatoris Maximiliani secundi corde tres adfuisse calculos testatur. HOLLERIUS [36]) narrat mulieris historiam, quae per quatuor menses doloribus intolerabilibus in vesica cruciata est: qua mortua ulcus et lapides duo in corde reperti sunt, renibus vero et vesica integris. Alium aegrotum commemorat idem, de molestiis vesicae, cum excretione urinae purulentae, coniunctis, conquerentem, in cuius corde post mortem reperiebantur ulcera et concrementa lapidea, viscera vero uropoëtica illaesa. FELIX PLATERUS [37]), lustratis internis cuiusdam adolescentis, ascite extincti, partibus praeter vulgatissima hepatis, lienis et renum vitia, reperit in medio corde os tribus articulis constans, cavum et arenosa quadam materia reple-

---

32) *De tumorib.* L. I. c. 28.

33) *L. c.* p. 267.

34) *Cf. Obs.* SCHENK. L. II. obs. 187.

35) *Obs.* L. IV. c. 16.

36) *L. c.* L. I. c. 29. Videntur veteres, qui saepius calculorum in cordis arteriarumque maiorum cavis mentionem faciunt, lithiasin atque ossificationem invicem commutasse.

37) Apud LIEUTAUD. libr. II. *l. c.* obs. 561.

tum: alioque in cadavere [58]) idem detexit os in cordis substantia, postquam vehementissimae huius organi palpitationes praecesserant. SMETIUS [59]) observavit simillimam cordis ossificationem. HEURNIUS [40]) puerum noverat duodecim annorum, post febrem acutam valetudine minus prospera per sexennium utentem, illo autem exacto bene valentem ab initio, sed ob crebras compotationes postea cordis anxietate, et lipothymiis correptum, quibus succedebant cum debilitate et frequenti vomitu palpitationes adeo vehementes, praecipue inter animi commotiones, ut ab adstantibus audiri possent. Tandem fato cessit. Cor naturalem magnitudinem quater excedebat, et substantia erat solidiore, inque eius septo tres reperiebantur calculi arenacei pisi magnitudine. SCHENKIUS [41]) denique plures in medium protulit observationes de lapidibus, in corde repertis, ab ipso factas, cuius generis etiam nonnullas invenimus a JACOTIO [42]) et DODONAEO [43]) literis mandatas.

Seculi decimi septimi genius, ab illustri BLUMENBACHIO [44]) optime adumbratus, id maximopere egit, ut zootomiae studio et vivisectionibus artem iuvaret salutarem, occultasque morborum sedes anatomes ope detegeret. Fieri igitur non potuit non, quin et morborum cordis exempla quam plurima notarentur, quae partim a LIEUTAUDIO, partim a VOIGTELIO, MECKELIO aliisque de anatomia pathologica scriptoribus collecta sunt. Inde decerpere non nulla liceat. Et FA-

---

58) *Observ.* lib. III. p. 656.

59) *Miscell.* L. X. p. 500.

40) *Obs. rar.* hist. 28. apud LIEUTAUD *l. c.*

41) *Obs.* p. 273.

42) *Comment.* in Hipp. Aph. IV. Sect. II. L. VI.

43) Cf. *Ephem. nat. cur.*

44) *Indroduct. in hist. med. lit.* p. 191 seq.

BRICIUS quidem HILDANUS [45]) narrat de puero decenni, qui, delapsus ab alto et violentam capitis contusionem perpessus, omnem sensum amisit, sanguine ex auribus naribusque erumpente: caput perpetuo dolebat: post quinque menses asthmaticus evadebat: biennio post abscessus circa aurem sinistram formatus et apertus, leniebat symptomata: tandem sinistro latere resoluto ingruunt insultus epileptici, qui brevi mortem parant. Sectio cadaveris hepar scirrhosum, circa principium aortae concretiones lapideas, non solum huic arteriae, sed eius quoque ramis et asperae arteriae adhaerentes, quarum una nucem magnitudine superabat, capite aperto lapidem e simili materia concretum et folliculo inclusum sub sutura lambdoidea, inter duram et piam matrem situm atque arctissime durae matri accretum; ventriculos denique cerebri ultra duas libras aquae continentes monstrabat. FABR. BARTOLETTUS [46]), professor Bononiensis primum, dein Mantuanus, saepissime ossificationes valvularum semilunarium, frequenter coniunctas cum coagulationibus polyposis, observavit. Quae vitia inprimis deprehendit in cadaveribus eorum, qui, pulsu fere naturali, asthmate chronico et insanabili laboraverant. Ubi vero ipsa aorta polypis erat obstructa, animadvertit expansiones eius aneurysmaticas, quae vehementissimas cordis palpitationes effecere. ZACUTUS LUSITANUS [47]) dissecto cadavere hominis, qui, dum viveret, cordis palpitatione frequenter corripiebatur, reperit in corde tres lapillos, ciceris magnitudine, coloris cinerei, formae oblongae et ponderis unius drachmae. JOANN. RIOLANUS [48]) conspexit in sene cor minimum et plane induratum, nec non ostium aortae

---

45) *Obs. chir.* cent. VI. Basil. 1606.

46) *Method. in dyspnoeam s. de respir.* L. IV. c. 2. (Posthumum opus incomte editum. HALLER *bibl. med. pract.* II. p. 486.)

47) Cf. LIEUTAUD *l. c.* obs. 570.

48) *Rar. observ. anatom.* ed. Paris. 1649.

ossificatum. Harvaeus 49) circulationis verae nisi inventor, tamen stator, cor in os rotundum vidit conversum. Thom. Bartholinus 50) ossis in corde cum Urbani VIII Pontificis, tum Cardinalis Meltii, reperti mentionem injicit; per huius aortam dispersa apparuere quam plurima ossis rudimenta ad distantiam trium a corde digitorum: denique etiam os triangulare in corde phthisici observavit. Willisius 51) in cadavere hominis, crebros palpitationum cordis insultus perpessi, et tandem continuo vomitu, virium languore aliisque symptomatibus extincti, deprehendit aortae truncum, ubi e corde exit, plane osseum s. potius saxeum eiusque ostium rimae instar angustatum. Apud Horstium 52) invenimus observationem de femina cachectica, haemorrhagiis obnoxia, quae ex febre biliosa continua, cum vigiliis, cephalalgia, ventris intumescentia, frequenti cardialgia et pulsu intermittente stipata, tandem in hydropem abdominis letalem incidit. Reperitur abdomen ichore foetido plenum, omentum putrefactum, hepar aeque scirrhosum ac lien, cor duplo maius, humori pericardii putrido quasi innatans, et valvulis dextri ventriculi calculus, ex tartaro constans, nucis avellanae magnitudine, accretus. Peyerus 53) virginem vidit hydropicam, quae spirandi difficultate correpta subito strangulabatur. Cordis pondus tres libras aequabat. Dexter eius ventriculus cum atrio, a copioso sanguine et concretionibus polyposis turgebat, sinister contra ea, propemodum inanis, exhibebat valvulas mitrales osseas et venam pulmonalem ita obstruentes, ut sanguinis transitus e pulmonibus ad cor penitus prohiberetur. Quas quidem de valvularum cordis observationes Fr.

---

49) Conf. *Ephem. nat. cur.* dec. I. ann. 3. obs. 282.
50) *Histor. anat. rarior.* cent. II. obs. 45.
51) *Pharmac. ration.* p. m. 104. ed. Amst. 1682. 4.
52) Apud Lieutaud. lib. II. p. 174.
53) *Epist. ad Harder.* p. 134.

Ruyschius [54]), anatomes studio clarissimus, suis auxit, e quibus unam; quae etiam a Boerhaavio [55]), Jaegerschmidtio [56]) et Lieutaudio [57]) repetita est, commemorare licet. Scilicet e longo inde tempore de asthmate et dyspnoea mercator quidam conquestus, pulsum tandem adeo parvum habebat, quem nemo adstantium per aliquot dies sentire posset, unde continuis vexatus lipothymiis, diem suum, nullis remediis levamen adferentibus, obiit. Totus thorax latice aquoso repletus fuit; valvulae cordis semilunares deformes, in osseam substantiam degeneratae et ita coalitae erant, ut nulla amplius via aut exitus sanguini e corde pateret. Georg. Greiselius [58]) in puero duodecim annorum, temperamenti sanguineo-biliosi, qui ex magno frigidae haustu, quem calefacto corpore sumserat, in continuam cordis palpitationem incidit, et aliquot annis misere transactis phthisi et hectica febre periit, pulmones cum pleura concretos, ulcerosos, cor stupendae magnitudinis, sanguine atro plenum et dilatatum, in aorta digiti distantia a cordis sinistro ventriculo remotam particulam, unguem minimi digiti magnitudine aequantem, instar arenae friabilem, et in ipso ortu arteriae mediam valvulam semilunarem invenit partim consumptam, partim aeque friabilem ac aortam. Dissecto corpore Wepferi [59]), celeberrimi medici, qui post magnam dyspnoeam, palpitationem cordis et pulsum intermittentem diem obiit, cor magnum, et iuxta arteriam pulmonalem ossea substantia inventa sunt. Ossificatio

---

54) *Opera anatom. chir.* observ. 69.

55) *Samml. auserl. Abh.* B. 9. St. 3. p. 505.

56) Diss. *de ossif. praeternat.* Argent. 1720.

57) *L. c.* lib. II. obs. 577.

58) *Ephem. nat. cur.* cent. I. ann. 1. obs. 79.

59) *Ephem. nat. cur.* cent. III. ann. 3. app. p. 155. Memoria Wepferi. c. tab. en.

extendebatur usque ad arterias iliacas et renales, ac tunica interna arteriae adeo marcida erat, ut rupturae periculum instaret. HARTMANNUS [60]) in viro sexaginta quinque annorum, ex febre continua (putrida) mortuo, sinistri ventriculi valvulas omnes tricuspidales et sigmoideas cartilagineas inveniebat. CAROLUS RAYGERUS [61]) sutorem Lutetiis Parisiorum noverat, sanguineum, obesum, mediae aetatis, qui bene potus vixque viam quadraginta passuum emensus repente concidens exspiravit, in cuius cadavere tres valvulae semilunares, ad aortae ex sinistro cordis ventriculo egressum sitae, osseae reperiebantur. Praeterea permultas huiusmodi observationes nobiscum communicarunt sequentes huius seculi scriptores: BLEGNYUS [62]), BURNETUS [63]), BLASIUS [64]), BELLINIUS [65]), LAURENTIUS [66]), DOMIN. DE MARCHETTIS [67]), MEIBOMIUS [68]), MEKERENIUS [69]), PAWIUS [70]), RHODIUS [71]), ROLLFINKIUS [72]), atque VESLINGIUS [73]), quas, ne molestus sim Lectoribus, verbo tantum indicare placuit.

Exempla osseorum in corde concrementorum, quae seculum decimum octavum et nonum praebent, adeo numerosa reperiuntur, ut,

---

60) Loco *Ephemer.* cit. obs. 122.
61) *Ephem. nat. cur.* cent. I. ann. 3. obs. 282, mens. Jun.
62) *Zodiac. med. Gall.*
63) *Thes. med. pract.* lib. III.
64) *Observ. medic.* 5. 13.
65) *De morbis pector.* p. 610.
66) *Exercitat. in Hippocr.* aphor. 21.
67) *Observ. med. chir.* 47.
68) Disp. *de calculo.* §. 2.
69) *Observ. med. chir,* c. 35.
70) *Observ. anat. select.* V.
71) *Observ. med.* III. 4.
72) *Ephem. nat. cur.* cent. VI. obs. 51. Dec. II. ann. 3. obs. 38.
73) *Epist. posthum.* XV.

nonnullis tantum iisque gravioribus plenius addactis, reliquas nonnisi verbo commemorare queam. Primum inter omnes nominare liceat MORGAGNIUM immortalem, cuius studium indefessum anatomiam pathologicam ita locupletavit, ut maximis propterea laudibus dignus sit, quas ipsi HALLERUS 74) tribuit. Cuius quidem opere praeclaro: *de sedibus et causis morborum*, quinquaginta fere observationes de cordis ossificationibus continentur, e quibus non nisi sequentem delegi. In femina scilicet mediae aetatis, de cordis palpitatione interdum, de spirandi autem difficultate, quam non nisi cervicis reclinatio paululum lenire poterat, perpetuo, denique de tanta anxietate conquesta, ut saepius mors instare videretur, arteriae magnae valvulas induratas, (unam adeo osseam, invenit 75). VIEUSSENS 76) in cadavere hypochondriaci invenit tunicas aortae osseas vel cartilagineas, valvulas autem ad eius exitum e corde sitas osseas, hinc angustiorem aortae aditum. Vena cava et ventriculus dexter, minime vero sinister, mire dilatatus conspiciebatur. Aeger cordis palpitatione, pulsu inaequali et intermittente, nec non asthmate et vertigine, inprimis post vehementem corporis motum et animi pathemata vexatus erat. Praeterea idem valvulas orificii venosi sinistri cordis osseas notavit. Plures eiusmodi observationes DEIDIER 77) retulit. LANCISIUS 78) cordis aneurysma ob unam osseam, et duas valvulas semilunares cartilagineas deprehendit in canonico quodam, IO. BAPT. PALAGGIO, qui hypochondriaca affectione detinebatur,

---

74) *Bibl. med. pract.* IV. p. 424.

75) *De sed. et causs. morb.* ep. XXIII. 8.

76) Cons. Ej. *Traité nouv. de la structure et des causes du mouv. et de la nature du coeur.* Toulouse 1715. 4.

77) Cf. *l. c.* VIEUSSENS.

78) *Op. var.* T. II. p. 250.

una cum cordis palpitatione saepius redeunte, atque pulsus inaequalitate, quin interdum plenaria cessatione. MONROUS.[79]) in cadavere hominis, hydrope anasarca extincti, et cuius venae cervicales, dum viveret, pulsationem quandam mentiebantur, cor maximum et valvulas auriculae cordis sinistrae durissimas et quasi osseas vidit; unde ostium adiacentis ventriculi ita erat angustatum, ut vix minimum digitum admitteret. HERM. BOERHAAVIUS [80]) in sectione senis centum et novem annorum, qui bona valetudine usque ad vitae finem usus erat, valvulas semilunares aortae tam cartilagineas et rigidas inveniebat, ut amplius munere suo fungi non posset. Pulsus semper fuerat abnormis, modo permagnus, modo intermittens. Puella undecim annorum, eodem BOERHAAVIO referente ob auriculam cordis sinistram cartilagineam tantis cruciatibus atque anxietatibus torquebatur, ut fascinationes et praestigiae accusarentur. HALLERUS [81]) numerosas huiusmodi observationes literis mandavit. IOA. BAADERUS [82]) in muliere sexagenaria, per biennium praecordiorum angustia, spirandi difficultate et cordis palpitatione laborante, quae, multis adhuc aliis symptomatibus excruciata, tandem diem obiit supremum, cor mire distentum et elongatum, valvulas autem semilunares, ad exitum aortae positas, perfecte osseas et immobiles fere deprehendit. LITTREUS [83]) et COWPERUS [84]) mortem subitam et cordis enorme volumen ex valvulis aortae induratis et cum ipsius parietibus concretis originem sumsisse suam viderunt. HJORTZ-

---

79) Cf. LIEUTAUD lib. 2. obs. 587.

80) Cf. *Samml. auserl. Abhandl.* Bd. IX. p. 483.

81) *El. phys.* T. I. L. IV. Sect. III. p. 325. 339. 347 sq. et *Opusc. pathol.* p. 56. 125. 136 etc.

82) Cf. LIEUTAUD. l. c. lib. 2. obs. 576.

83) *Mém. de l'acad. des scienc. de Par.* ann. 1726.

84) *Myotom. reform.*

BERGIUS [85]) palpitationem, ex corde valvulisque aortae ossificatis oriundam, observavit. Scilicet vir, viginti sex annorum, qui anno aetatis nono a turri, duas et triginta ulnas alta, delapsus inde contusionem gravem in pectore reportaverat, postea autem bis aqua submersus periculum suffocationis vix effugerat, ultimis aetatis annis saepius afficiebatur molestiis hypochondriacis, pulsu intermittente, anxietate et difficili respiratione cum palpitatione cordis violenta, ad quae sensim accedebant paroxysmi suffocationis vehementissimi. Cuius cum cadaver dissectum esset, inveniebatur cor magnum, pericardium aqua repletum, valvulae aortae ossificatae atque ante ostium aortae in ipsa cordis substantia os oblongum multangulum.

LENTINUS [86]) virum, sexaginta octo annis gravem, vino deditum, et subinde podagrae insultibus adflictum, qui minime cubare poterat, sed semper pectore antrorsum incurvato sedere debebat, anxietate et respirationis difficultate oppressum, pulsu parvo atque intermittente conspicuum dissecuit, qui in utroque pleurae sacco quatuor circiter aquae uncias, cor inusitatae magnitudinis, arteriam eius coronariam ad minimos usque ramulos ossificatam, et in utriusque ventriculi valvulis semilunaribus eiusdem vitii initia offerebat.

SELLIUS [87]) in iuvene annorum octodecim, qui cum vehementi cordis palpitatione et agrypnia, inde, quod cubare haud poterat, pendente, pulsu magno, celeri, duro, sed aequali, conflictatus erat, valvulas cordis immobiles et ossificatas; BANGIUS [88]) autem in homine viginti quatuor annorum, qui cum vehementi cordis palpitatione gra-

---

85) *Schwed. Abhandl.* B. 40.

86) *Beiträge z. ausüb. Arzneyw.* B. 3. p. 101.

87) *Beiträge z. Natur- u. Arzneyw.* Th. 2.

88) *Auswahl a. d. Tagebüch. d. kön. Krankenh.* Th. 2.

viter spiraverat, cor enormis magnitudinis, valvulasque mitrales osseas invenit. Easdem valvulas osseam penitus naturam induisse, semel observavit DIETZIUS [89]).

SANDIFORTIUS [90]) exempla notatu digna valvularum cordis omnium omnino ossificatarum attulit e cadaveribus iuniorum aeque ac seniorum. LETTSOMUS atque PORTALIUS [91]) multas cadaverum dissectiones memoriae prodiderunt, quae ossificationes in corde eiusque valvulis adfuisse ostendunt.

MALACARNIUS [92]) in cadavere senis, qui a longo inde tempore calculo laboraverat, subito postea extincti, valvulas semilunares ventriculi cordis sinistri ossificatas reperit. Sic et STOLLIUS [93]) valvulas easdem in femina 30 annorum, de alvo per octo iam dies cruenta, torminosa et cita, et illa subsistente de quartana oborta, et abdomine intumescente conquesta, ubi in lectum se reclinaverat, subito mortua, crassas, partim cartilagineas, partim vero eius naturae, quae inter os et cartilaginem ambigit, parum mobiles et semi-hiantes deprehendit. Ex hoc valvularum vitio et ossescentia principii aortae, quibus sanguis, copiosius ex scalarum adscensu ad cor sinistrum delatum, propelli ulterius haud poterat, derivat STOLLIUS subitam feminae mortem. Similes observationes ABERNETHIO [94]), HUNAULDO [95]), SIMMONSIO [96]) et WALTONO [97]) debemus.

---

89) *Observ. anat. de corde.* Giess. 1781.
90) *Observ. anat. pathol.* lib. I. p. 22 sq.
91) Vid. *Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte.* B. 12.
92) *Italien. Biblioth.* v. KUEHN u. WEIGEL. B. 2. p. 182.
93) *Rat. medendi.* To. I. 252.
94) Vid. *Medico-chir. Transactions.* Vol. I. p. 30.
95) *Mém. de l'acad. de scienc.* 1735.
96) *Medic. communicat.* I. p. 18.
97) *Ibid.* p. 19.

Schlegelius [98]) in sene, qui, in prima aetate haemorrhoidibus obnoxius, duobus, qui mortem antecesserunt, annis dolorem in pectore sinistro, palpitationem cordis vehementem, et suffocationis insultus perpessus erat, videbat hepar mole auctum, contractiones coli, seri in pectoris cavitatem effusi libram, valvulas ostii venosi sinistri (mitrales) partim cartilagineas, partim osseas.

Michaelis [99]) observavit, virum quadragenarium post praegressos arthriticos insultus vehementi cordis palpitatione corripi; in cuius cadavere uterque pulmo cum pleura ubique, cor cum pericardio concreverat, et praeter alia morbosa phaenomena valvulae, ostiis arteriosis praetensae, ossificatae erant.

Reilius [100]) aegrotam, quinquaginta sex annorum, curabat, quae ante biennium ex terrore variis spasmis cum pertinaci alvi obstructione fuit subiecta. Ab eo inde tempore de anxietatis sensu, indies increscente, conquesta, paulo post molestis palpitationibus cordis corripiebatur. Quae quidem symptomata adeo increverunt, ut et omni somno aegrotus privaretur et convulsivi cordis palpitantis motus e longinquo conspici possent. Tandem pulsus intermittens fiebat, et aegrota, febris hecticae vi sensim consumta, fato cessit. Sectione instituta deprehendebantur in valvulis cordis sinistri mitralibus rudimenta ossificationis: valvulae semilunares autem ventriculi sinistri maiori gradu erant laesae, ita, ut earum una laminam osseam referret. Reliquas a normali statu aberrationes silentio praetermitto. I. van Heekeren [101]) in corde annosioris mulieris, quod Brugmansius ipsi ad explorandum per-

98) *Neue med. Bibl.* B. I. St. 1. p. 182.
99) Cons. Hufel. *Iourn.* B. 18. St. 3. p. 65.
100) *Memorab. clin.* P. I. fasc. 2.
101) *De osteogen. praeternat.* L. B. 1797. p. 120.

misit, inveniebat valvulas semilunares solito rigidiores, inter duplicaturam lapidea materia quasi fartas: annulum tendineum, qui limites constituit sinus et ventriculi sinistri, in valvulas mitrales abeuntem, simili modo totum ex eiusdem materiae accumulatione durum.

Praeter haec exempla in cadaverum dissectionibus obvenit idem valvularum cordis transitus aut in cartilagineam, aut in osseam substantiam Schirtio [102]), Theraudeo [103]), Laennecio cum Baylio coniunctim [104]), et soli [105]), Hufelandio [106]), Conradio [107]), Waltheris, Berolinensibus, patri [108]) et filio [109]), Meckeliis avo [110]), patri [111]) et filio [112]), Soemmerringio [113]), Lodero [114]), Heckero [115]), Seilero [116]), Ca. Friedr. Haasio [117]), Petr. Frankio [118]), Starkio [119]), Thaxtero [120]),

---

102) Horn's *Arch.* B. I. Heft. 1. p. 156.
103) *Mém. de l'acad. de méd. de Paris.* To. II. p. 6.
104) *Iourn. de méd.* To. VII. p. 291.
105) *Iourn. de méd.* To. IV. p. 294.
106) Ej. *Iourn. d. pr. Heilk.* B. V. p. 825. XV. 1. p. 154.
107) Vid. Arnemann's *Magaz.* B. I. p. 86.
108) *Sur les malad. du coeur in Mém. de l'acad. roy. des Scienc. de Berl.*
109) Descriptio Musei Walther.
110) Sur les malad. du coeur in Mém. de l'acad. roy. des Scienc. de Berl.
111) Vid. ej. var. scripta.
112) Handb. der pathol. Anatomie. 2r Bd. 2e Abtheil. 1818. p. 160 sq.
113) Observ. anat. et Ej. Anmerkungen zu Baillie Anatomie des krankh. Baues etc.
114) Vid. Köhlers Beschreib. d. Loderschen Präparat. etc. 1r Th. 1795.
115) Magazin f. patholog. Anatomie.
116) Horn's Arch. B. II. Heft 2. 1815.
117) Diss. de morbo coeruleo. Lips. 1813.
118) Observ. pract.
119) Klin. Bemerk.
120) New England Iourn. etc. Vol. V. No. III. cf. Salzb. med. chir. Zeit. Bd. 2. 1818. p. 249.

Levino [121]), Ottoni iuniori [122]), anatomen nunc Vratislaviae profitenti, aliisque pluribus, quos brevitatis caussa omittere debeo.

---

§. 3.

De osteogenesi in universum.

Ossificationem nihil aliud esse, quam partis alicuius corporis animalis, quae antea ossea non erat, in talem substantiam mutationem seu transformationem, inter omnes constat. Cuius quidem operationis naturam, in obscuro positam, variis modis explicare studuerunt medici et antiquiores, et recentiores. Antiquiores hac de re opiniones hoc loco fusius recensere neque vacat, neque lubet. Cuius quidem laboris otium mihi fecit Schacherus [123]), ad quem eos, qui horum somniorum cognoscendorum cupidi sunt, refero. Boerhaavius, magnus ille medicus et pene omnis Europae praeceptor [124]), hac ossium morbosa in senioribus corporibus generatione ita est usus, ut eam cum naturali ossium formatione conferret, eiusque quasi continuationem esse doceret, ut continuantibus iisdem caussis, eodem sanguinis appulsu, magis magisque fibras membranaceas rigescere, vasa obliterari et denique in osseam naturam abire persuaderetur, uti in foetu periostei laminae in osseam indolem, naturae iussu et lege, abeunt. Quae quidem sententia a plurimis nostrae aetatis medicis recepta est ita, ut nonnunquam pauca tantum in ea mutarent. Augustin. Budaeum exempli loco ad-

---

121) Sweuska Läkare. Sällskapets Handlingar. B. 5. in iisdem Ephemerid. B. 2. 1818. p. 598.

122) Handbuch der pathol. Anatomie.

123) *Observatt. tres circa ossification. praeternat. materiam* Progr. ad Diss. inaug. Gottw. Schusteri *de secundinarum exclusione.* Lips. 1726. 4.

124) *De cognosc. et cur. morbis* No. 55. etc.

ferre liceat, quem HALLERUS [125]) a BOERHAAVIO deflexisse in eo testatur, quod negaret, partim fibras molles in duras seu osseas abire, partim ossa vera esse illa corpora, quibus osseam naturam tribuimus, quippe quae careant et verorum ossium fabrica, et aliis, quae ossibus propria sint: potius grana quaedam posuit terrea et gypsea, quae ita descripsit, ut idem iam observasse videatur, quod HALLERUS post illum descripsit.

G. V. JAEGERSCHMIDTIUS [126]), qui BOERHAAVIUM quoque sequitur, contendit, haud omnes corporis partes tali in osseam substantiam transmutationi aptas nasci, sed solum illas, quae a primaeva formatione et nativitatis primordiis dispositionem quandam ad hanc metamorphosin subeundam nacta fuerint. — Hanc igitur ossificationem vix aliud quidpiam esse, quam continuationem negotii, cui natura per novem menses iam in utero vacaverit materno, dum liquor ovuli non immediate in os, sed primum in membranam, aut cartilaginem transformetur, et demum, his mutationibus praegressis, osseam induat naturam. Haud mirandum autem esse, quod natura hunc ossificationis processum, post longam intermissionem, sub ultimum vitae tempus redintegret: hoc enim adscribendum videri dispositioni humorum, qui aetate senili crassi, viscidi, lentique sint.

SCHACHERUS [127]) a ratione haud plane alienum putat, senum, quibus potissimum ossificatio praeternaturalis accidat, sanguinem particulis salino-terrestribus viscosisque haud parum esse onustum, partisque in os mutandae porulos inorganicos immutari, et fortasse ultra diametrum naturalem dilatari, unde illae particulae salino-terrestres in maiori copia per illos traiiciantur, traiectaeque sanguinis pressione arctius uni-

---

125) Progr. *de ossificatione, ut vocant, praeternaturali.* Gott. 1749.
126) Diss. *de ossificatione praeternaturali.* Argent. 1720.
127) Progr. supra laudato.

antur. Humidis moleculis calore evaporatis illas in arctiores complexus ruere, et insuper spirituum, aut, si mavis, particularum aëreo-aethereorum agilitate tornari ac premi, donec eaedem, fasciculis suis undiquaque sese contingentes, arctissime invicem copulentur, osseamque duritiem nanciscantur.

Langhannsio [128]) absonum esse videtur, has indurationes et fabricam particularum istarum, quae in vasis occurrunt, ossificationum nomine insignire, quippe quae longe ab ossium structura differant, cum nec fibris, in ordinem quendam dispositis, nec diploë, nec periosteo vasisque nutritioni inservientibus praeditae sint. Quae cum ita sint, vitio illi nomen lithiaseos impertiri mavult, et quamquam Conr. Peyeri effatum verissimum habet, quo processum illum, qui partes molles in durissimas convertit, crassissima caligine premi adserit, tamen cum Budaeo [129]) tres lithiaseos formas statuit.

Jam ad magnum Alb. Hallerum accedo, qui, quid hac in re verum sit, melius, quam qui ante ipsum idem tractaverunt argumentum, cognovit. Is enim in aorta cuiusdam frequentes osseas squamas, et passim loca observavit callosa, flava, quae succum flavum [130]), in telam cellulosam, quae inter muscularem et internam tunicam posita est, effusum continebant. Mollis erat, pultaceus, nec dissimilis illi, qui in atheromate reperitur. In eodem cadavere alia loca callosa, ficosa, coriacea deprehensa sunt, alia cartilaginea, alia denique ossea. Natura

---

128) Diss. *de vasor. corp. hum. lithiasi.* Gott. 1747. 4.

129) Eundem plane succum inveniebat Io. Fr. Crellius (*de arter. coronaria instar ossis indurata.* Viteb. 1740. recus. in Hall. *disp. pract.* To. II. p. 563 sq.) in ossificatae arteriae cordis coronariae vicinia, eumque cum ea materia comparat, atheromati aut meliceridi inclusa; e qua, in telam cellulosam deposita, resorptis particulis fluidioribus, ossificatio praeternaturalis originem sumere suam auctor est Crellius.

130) *Miscell. Berol.* To. V. p. 63.

igitur ipsa naturalem quasi progressionem monstrabat, quam immutandis sensim partibus mollibus in durissimas adhibet. Ab initio scilicet succus effusus mollis adhuc est, sensim autem varios duritiei gradus adsumit, tandem tanta duritie, quantam in ossibus conspicimus, riget. Indurationes autem tales non possumus vere osseas nuncupare, quippe quae et fibris parallelis, et poris destituta est, in osse conspiciendis, et omni osse duriores sunt. Has observationes tam frequenter repetere licuit Hallero, ut de veritate eorum, quae de via ac ratione adseruit, qua praeternaturalis ossificatio contingat, ne minimum quidem dubitaret. Eodem modo Hallerus vitiosam arteriarum degenerationem, quae senio solet familiaris esse, e liquidorum potius vitio, quam solidarum partium rigescentia, sive haec a copiosiore terrearum particularum in sanguine generatione, sive a pigriore cordis motu pendeat, quo, quae vividior eiusdem contractio ad renes detulisset, in illis locis deponantur, quae ob mollitiem facile cedunt [151]).

Io. Chph. Pohlius, quondam professor pathologiae Lipsiensis, de hoc phaenomeno sententiam fovit, inter Boerhaavianam atque Hallerianam intermediam. Quicquid enim de naturali valeat ossificatione, id etiam de calli formatione et praeternaturali ossis formatione statui debere contendit. Effici autem posteriorem a vi sanguinis, solidas corporis nostri partes paulo vehementius prementis, quae ob elasticitatem nimis auctam impediantur, quominus sufficienter resistant. Inter alias partes, sanguinem constituentes, magnam quoque copiam particularum terrestrium per arterias advehi, quae in foetu mutandae in os cartilagini materiam suppeditent. Hanc materiam arterias cordis vi incitatas pro-

151) Vid. progr. supra laudatum.

pellere, ita, ut, quo gradu cordis vis crescat, eodem etiam ossis durities augeatur [132]).

Inter novissimos seculi praeteriti scriptores I. VAN HEEKEREN [133]) cum laude nominari meretur, qui cum celeberrimo BRUGMANSIO, nuper defuncto, observationes de ossificationis morbosae ortu instituit, quae HALLERI hac de re sententiam confirmant. Decursum enim osteogeneseos naturalis in membranis eundem esse cum illo, quem natura in ossibus praeter naturam formandis observet ac sequatur. „Scilicet, ait, in „senectute, vel raro exemplo in adulta vel iuniore aetate, ubi ad eam „conditionem corpus pervenerit, quae in genere indurationibus par„tium mollium i. e. degenerationibus lapideis vel osseis propria est, „talem agendi modum sensim adsciscunt vasa, ut loco cellulosae pri„mum materiam pultaceam, dein densiorem, tandemque osseam creent; „et huic degenerationi vasa, quae ad telam cellulosam decurrunt, ob„noxia praecipue videntur. Diathesi sic, ut ita dicam, ossifica quum „humores in toto corpore laborent, illorum praeternaturali stimulo „ultimi vasorum secretoriorum, ad telam cellulosam decurrentium, fi„nes prae reliquis afficiuntur, formantque modo haud explicabili mate„riem osseam: quaenam vero eorum conditio requiratur, ut os prae „lapide effingant, non facile determinatur, quum diversa haec modi„ficatio non multum a se differat necesse sit, osse haud parvam terrae „calcareae quantitatem continente, ex qua illae concretiones lapideae „constant." Quae quidem sententia maximam partem a IAEGERSCHMIDTIO [134]) iam prolata est. Addit HEEKEREN: „In genere itaque dici „potest, diathesin illam ossificam praeprimis occurrere in senibus vel

---

132) Progr. *de ossificatione vasor. praeternaturali.* Lips. 1774.

133) *De osteogenesi praeternatural.* Cum tab. aen. L. B. 1797. 4. p. 121 seq.

134) Diss. supra laudata p. 14.

„iis hominibus, quibus quidem *non* est omnium functionum *lentor se-„nilis*, sed tamen *ille solidorum tonus*, qui mutatis mutandis *ad senilem „accedit*, et quo praecipue topice afficiantur, quae ad telam cellulo-„sam progrediuntur vasa [135]).“

Ex his luculentissime intelligimus, cum illos scriptores, qui a me laudati sunt, tum illos, quos brevitatis caussa silentio praetermisi, aut magnorum virorum, Boerhaavii et Halleri hac de re alterutram sententiam secutos esse, aut utramque invicem coniunxisse. Sed ex quo recentioribus temporibus altior anatome laetissimos et fere mirandos fecit progressus, et physiologia quoque multis iisque magnis anatomes inventis aeque, ac opera et studio virorum, et ingenii perspicacitate, et eruditionis amplitudine insignium, ad eum perfectionis gradum evecta fuit, quem antea nunquam attigit, fieri haud poterat non, quin faustae hae rerum mutationes magnopere in pathologicas influerent disquisitiones.

Liceat mihi praecipua tantum, et breviter quidem, commemorare, cum scriptores adducendi notissimi sint, et inprimis Kreyssigii, Viri Illustris, *de cordis morbis* opus in omnium medicorum, qui ultra vulgus sapiunt, manibus versetur, certe versari debeat. Iam Baillie [136]) valvulas cordis in statu *inflammationis*, et lymphae coagulabilis strato obductas inveniebat, et Bichatus quoque [137]), qui inter primos obscurum hunc locum sua eruditione suoque ingenii acumine illustrare coepit, inflammationem praecedere ossificationem, neutiquam autem hanc

135) Idem fere iisdem verbis adfirmavit Crellius l. supra l. qui neque membranas, neque fibras musculares solidescere et ossescere posse putat, sed tantum telam cellulosam, hisce partibus interpositam, in cuius cavernulis succus ille ossificans deponatur.

136) *Anatomie d. krankhaft. Baues* u. s. w. *Aus d. Engl.* v. Sömmerring.

137) *Anatomie générale* To. II. p. 293. Cons. *Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte.* B. 21. p. 63.

solummodo a provecta aetate pendere, sed in iunioribus corporibus aeque frequentem esse, ac in senioribus statuit. Corvisartus [138]) autem putat, transitum fibrarum muscularium et cordis valvularum in cartilaginosam aut osseam substantiam nihil aliud esse, quam intensiorem *condensationis* gradum, qui cum mutatione nutritionis in corde coniunctus sit; eumque iisdem caussis suam originem debere, quae aneurysma efficiant activum, cuius descriptio veram substantiae cordis inflammationem indigitet. Rationem enim, quae inter vim et energiam fibrarum cordis, vasorumque dimensores intercedere debet, a legitima recedere norma, quo fiat, ut sanguis diutius in corde retineatur, huiusque visceris fibrae extensae longiores reddantur, materia nutritia simul maiori in copia a minimis arteriae coronariae ramis advecta. Bichato et Baillieo accedit in eodem ossificationis abnormis phaenomeno explicando Testa [159]), qui in inflammatione sola proximam omnis praeter naturam in corpore animali contingentis mutationis caussam repositam esse statuit. Quae quidem sententia cum effato magni Hippocratis, quo omnes omnino morbos ab una eademque caussa pendere adfirmabat, magnam habet similitudinem. Inflammationem autem dividit in veram ac spuriam, cum huius occulta et origo et progressus, doloris absentia et dispositio partis adfectae, abnormem sructurae conditionem adsumendi, maxime opposita sint intensioni virium et nisui novas producendi partes, in vera inflammatione praesentibus. Adeo lente inflammatio spuria progreditur in parte corporis nostri adfecta, ut eius a conditione normali discessus neque ab aegroto, neque a medico animadvertatur. Inflammatorius processus in occulto quasi locum habet, sensimque eo procedit vehementiae, ut interdum morbo sensibili adfici atque

138) *Sur les maladies organ. du coeur etc.* *Cons. Samml. auserl. Abh.* B. 22. p. 144.
139) *Ueber die Krankh. d. Herzens.*

mori non nisi brevissimo temporis intervallo a se invicem sint remota. Id in morbis cordis inprimis observatur. — Si igitur verae inflammationis processus, uti animadversum est, eo tendit, ut nova nutritionis producta, vasa et telam cellulosam, quodammodo creet, haud difficile esse videtur ad intelligendum, quomodo pro diversa stimuli inflammatorii, dispositionis corporis, peculiaris partis adfectae structurae et similium ratione partium, quae ante inflammationis ortum iam aderant, destructio, et novarum, quae organisationis speciem prae se ferunt, progerminatio locum habere possit. Neque tamen hoc modo omnem difficultatem tolli putat Celeb. TESTA, quae cum hac explicatione ossificationis et lithiasis coniuncta sit. Vasorum lymphaticorum efficientiae in his morbosis phaenomenis producendis plurimum tribuendum esse sibi habet persuasum, cum constet, a vasis illas osseas partes vere sugi, absorptasque alio deduci: quin haec vasa interdum, MASCAGNIO [140]) et ASSALINIO [141]) testibus, ossificata reperiri. Quam ob rem TESTAE suspicio subnata est, dispositionis rhachiticae rationem in morbis cordis explicandis habendam esse. Denique inflammationem quoque subtilissimorum vasorum haud parum contribuere opinatur ad ossificationis morbosae originem explicandam. Cui quidem sententiae robur addunt partim phaenomena arthritidis, in qua post bursarum, quae male mucosae vocantur, membranarum et tendinum inflammationem eiusmodi humores accumulantur, unde tophi arthritici, e calcaria phosphorica seu phosphate calcis magnam partem constantes, oriuntur [142]); partim calculorum urinariorum generatio, quam nuperae disquisitiones AUSTSINI [143]),

---

140) *Vom Saugadersystem.* S. 43.

141) *Versuch üb. d. Krankh. d. lymph. Systems.* S. 41.

142) *Medical facts and observat.* Vol. IV. p. 36.

143) *Treatise on the origin and component parts of the stone in the urinary Blatter.* Lond. 1791. 8.

GAITSKELLII [144]), EGANI [145]), WOLLASTONI [146]) et FOURCROY [147]) docuerunt. Mucus enim viarum urinariarum, cuius abundantia saepius ab irritatione et inflammatione renum et vesicae derivanda est, phosphate calcis, ammonia urico acido nupta, et natro carbonico dives, originem calculorum urinariorum efficit. Calculus scilicet a primo eius ortu minime terreum corpus prae se fert, sed potius non nisi praecipitatio salium est, quorum acidum suam ipsius naturam mutavit, et e phosphorico in uricum transivit. Corpore optime valente mucus ille excernitur, phosphate calcis formandis ossibus impenso. Sin autem contrarium obvenerit et sine inflammatione, membranas arteriarum clanculum occupante, magna copia illarum partium illuc deposita fuerit, squamae osseae facile possunt oriri. Haec Cl. TESTAE sententia magis probabilis redditur, cum in animum revocamus, ossificationes praeternaturales plerumque cum aliis cordis vitiis, aucta pinguedinis in eius vicinia quantitate, dilatationibus et polypis coniunctas reperiri.

Illustris KREYSSIGIUS [148]) transitum partium cordis in cartilaginem, atque os, incrustationem, atque lithiasin coniunctim contemplatur, quoniam communis omnium effectus in *induratione*, et principium in *depositione phosphatis calcis* sit repositum. Formationis horum concrementorum calculosorum et ossificationum caussas iam in mixtione sanguinis naturali quaerenda est, quippe quae necessarias ad generanda ista corpora pseudorganica partes, easque apte invicem mixtas continet. Ratio, qua hae partes e sanguine secernuntur, vi-

144) *L. c.*

145) *Medical and physic. Iourn.* No. 90—94.

146) *Syst. des connoiss. chimiques:*

147) *Syst. des connoiss. chimiques* To. X. p. 204 sq.

148) *Libr. cit.* Th. II. Abth. 1. cap. 4. 338 sq.

detur magis legibus convenire, quibus solent similes processus in natura inorganica regi. Id observatione quoque confirmatur, qua, Bichato [149]) et Baillieo [150]) testibus, in hominibus, quorum aetas sexagesimum annum excessit, fere omnibus eiusmodi producta morbosa plus minus apparere constat. Cuius quidem phaenomeni caussa haud dubie in partibus illis quaerenda est, quae in sanguinis mixtione reliquas superant. Neque vero aliter iudicandum esse videtur de hereditaria nonnullorum ad vasorum ossificationem dispositione, cuius exempla, praeter Hamiltonum [151]), venerabilis senex Petr. Frankius in illustrissima familia Principum Badensium observavit — Aliam, eamque non minus gravem caussam ossificationis atque lithiasis in corde Kreyssigius deprehendisse sibi videtur in *processu inflammatorio*, cuius effectus maior minorve exsudationis gradus sit, plasticam lympham aut in superficiem, aut in interstitia partium inflammatarum effundentis. Cuius quidem materiae nisi resorptio locum habeat, superficies sese invicem contingentes concrescent, et partes, quarum interstitiis lympha inclusa haeret, obdurescent, nec dubium est, quin et osseam naturam adsumere possint, modo lympha terrae calcareae dives sit. Quae cum ita sint, facile intelligitur, qua ratione musculorum vehementes motus in hominibus aeque ac reliquis animalibus illorum tendinumque rigiditatem veramque ossificationem producant. Inflammationem autem saepe induratarum cordis valvularum caussam evadere certissimum est, cum eadem, quarum structura subtilior saepe vehementi appulsui sanguinis impetuosioris exponitur, ex hac ipsa irritatione mechanica inflammationem subire debeant.

---

149) *L. c.* Th. I. Abhandl. 2.

151) *Abhandl. d. Londn. Gesellsch. übers. v.* Roose. Th. I. No. 8. p. 150.

131) *Edimb. med. Comm.* B. IX. St. 2. S. 10.

His, quae KREYSSIGIUS hac de ossificationis praeternaturalis caussa ulterius exposuit, PARRYUS adstipulatur. Remotiorem enim contendit ille, caussam malorum chronicorum, et inprimis ossificationis morbosae in diathesi inflammatoria sitam esse, quae aut sub forma vulgaris rheumatismi acuti sese prodat, aut illam rheumatis speciem referat, quae luxuriosae vitae comes esse soleat. Praeter haec aliud adhuc est, quod illam de ossificationis morbosae origine sententiam amplius confirmat: nempe dilatationes cordis vasorumque maiorum plerumque cum ossificatione praeternaturali coniunctae sunt, atque adeo eandem utriusque vitii generandi rationem ostendere videntur. Denique PARRYO arthritis atque calculus inter morbos referuntur, qui efficiendis praeter naturam ossificationi et lithiasi eatenus inserviant, quatenus uterque morbus lentas in organis membranaceis inflammationes producere soleat, quarum solutio a depositione terrae calcareae efficiatur. Quae quidem particularum terrearum e sanguine praecipitatio, etiamsi symptomata inflammatoria nulla percipiantur, tamen locum habere potest. Itaque, experientia teste, illi aegroti, in quorum cadaveribus ossificatae partes in corde animadvertebantur, frequentissime arthritidis atque calculi insultibus obnoxii erant, et symptomata cordis morbum indicantia saepe alternis vicibus arthritidi aut calculo succedebant. De arthritide id iam STOLLIUS [152]), STÖLLERUS, ELSNERUS, SELLIUS, LETTSOMUS, BARTHEZ [153]) atque SPRENGELIUS [154]) etc. observarunt.

---

152) *Rat. med.* To. p. 44.
153) *Des maladies goutt.* To. I. p. 266.
154) *Instit. pathol. spec.* §. 393.

§. 4.

De osteogenesi valvularum cordis.

Omnium frequentissime osseam induunt naturam *valvulae* cordis earumque fibrae tendineae, quibus illae cum cordis parietibus firmiter cohaerent. Iam Hallerus illud saepe observavit, et si audire velimus Meckelium III.[155]), hae ipsae valvularum ossificationes frequentius, quam cordis ipsius occurrunt, quamquam Voigtelius et Sömmerringius contrarium adserunt, Baillieum propterea, quod alius erat sensentiae, reprehendentes. Notatu maxime memorabile est, hanc praeternaturalem ossificationem fere penitus intra limites earum cordis cavitatum inclusam esse, quae a pulmonibus refluum sanguinem recipiunt, receptumque aortae tradunt. Cuius quidem phaenomeni caussam Meckelius *l. c.* p. 170. explicare minime ausus est. Negari autem nequit, valvulas aortae semilunares aeque ac mitrales omnium frequentissime, contra ea hisce convenientes dextri lateris rarius ossescentiae vitium subire. Id luculentissime patet ex numero aegrotorum, in quorum cadaveribus valvulas aortae semilunares osseas deprehendit Morgagnius, comparato cum iis, quorum valvulae cognomines, arteriae pulmonali praetensae, idem vitium contraxerunt. Ratio illarum ad has erat, quinquaginta ad unum. Aeque numerosa sunt valvularum mitralium ossificatarum exempla, quae in valvulis tricuspidalibus raro conspiciuntur [156]). Cuius tamen vitii specimina et Hodgsonus [157]) protulit, et Lipsiensis literarum universitatis thesaurus anatomico-pathologicus exhibet, cuius divitias nuper peculiari

---

155) *Handb. d. pathol. Anat.* Th. II. Abh. 1. S. 177.
156) *De caus. et sed. morb.* ep. XVII. 12.
157) *Ueber die Krankheit. d. Arter. etc.* p. 43.

libro descripsit Exper. LUDOV. CERUTTIUS [158]), praeceptor pie venerandus, cuius praelectionibus de anatome pathologica summopere semper delectatus sum, utpote quae mihi et insignia huius doctrinae commoda, in medicinam practicam redundantia, comprobaverunt, et huius ipsius dissertationis argumentum suppeditaverunt. Saepe admodum, uti SÖMMERRINGIUS recte animadvertit, valvularum cordis arteriosarum ossificationes excrescentiarum speciem prae se ferunt atque racemorum similitudinem habent. Quamquam dubitandum mihi esse videtur, an excrescentiae, in cordis valvulis conspicuae, condylomatibus similes, quas CORVISARTUS [159]) in hominum cadaveribus deprehendebat, qui repetitis vicibus et diu morbo laborarunt venereo, huc, id quod MECKELIUS suspicatur, pertineant, nec ne. E BAILLIEI [160]) sententia valvulae cordis, quae venarum ostiis appositae sunt, rarius valvulis arteriosis osseam naturam adsumunt, quod in universum tantum verum est, quoniam valvularum mitralium ossificatio neutiquam ad raras deformitates referenda est. Frequenter inprimis, quemadmodum MECKELIUS observat, maior minorve osseae substantiae copia in annulo tendineo deponi solet, quae inaequalem granulosamque superficiem offert. Cum hac abnormi valvularum consistentia lumina etiam vasorum valde coarctantur; quod vitium insignem atrii sinistri dilatationem cum ventriculi sinistri angustatione efficit. Denique in eodem corde utraeque simul valvulae, cum arteriosae, tum venosae, osseae reperiuntur, cuius vitii exempla in nostro museo anatomico-pathologico conspexi [161]).

---

158) *Beschreib. d. pathol. Praeparate.* 118.

159) Iourn. de méd. ann. IX. Brum.

160) *Lib. cit.* p. 21.

161) CERUTTI *l. c.* p. 113.

§. 5.

Morbi nomen.

Phaenomena morbosa, quae tanquam effecta ossificationum in corde obviarum observata sunt, a variis scriptoribus diversimode cognominata sunt. Praecipuas tantum eius vitii denominationes adferam. Heberdenus enim anginae pectoris nomine usus est, quam Parryus syncopen anginosam, Swediauerus pnigophobiam ob suffocationis metum, Darwinus asthma dolorificum, Stöllerus et Sellius asthma spastico-arthriticum, Sluisius sternodyniam syncopalem, Butterus arthritidem diaphragmaticam, et denique Brera stenocardiam appellavere.

---

§. 6.

Diagnosis morbi.

Quamquam cordis morbi iis adnumerandi sunt, qui recentium medicorum opera ac studio plurimum illustrati sunt, omnes tamen, qui de illis scripserunt, in eo conveniunt, ut singulas horum vitiorum formas cognoscendi et a se invicem separandi difficile admodum negotium declarent. Id quoque de ossificationibus valvularum verum est. Nam quae tanquam signa huius vitii a me allata sunt, haec non illi soli competunt, sed aliis quoque cordis morbis frequenter conveniunt. Angina pectoris (liceat enim maioris perspicuitatis caussa hoc uti nomine maxime frequentato) ita sese prodit: homines corpore robusto, bene nutrito, facie laete rubicunda, motuum agilitate et iuvenili alacritate insignes, procedente aetate plures ante morbi initium annos de dolore pectus faucesque constringente conqueruntur, qui respirationem quidem dolorificam reddit, minime autem impedit. Saepe accedit sensus ponde-

ris [161]), subito in pectus irruentis, eumque interdum eo vehementiae progressum observavit Iahnius [163]), ut aegroti nec levissimum indusii contactum tolerare possent. Interdum pectus punctorio sensu infra sternum ab anteriori thoracis parte versus posteriora traiicitur, aut similis dolor firmiter haeret sub papilla sinistra, indeque versus scapulas atque dorsum migrat. Nonnunquam molestus aegrotis est, Kreyssigio p. 341. teste, sensus ardoris, tanquam a carbonibus ardentibus, quem Baaderus quoque iamiam in eiusmodi aegrotis observavit [164]). Corvisartus [165]) narrat, aegrotis eiusmodi videri, inprimis versus insultus finem, quasi humor quidam vi in pectoris cavitate protrudatur, cui simile quid I. Bellius [166]) observavit: nam aegroti percipiebant strepitum quendam, qualem corpus aquae immissum solet excitare, eumque etiam alii, qui adstabant, audire poterant. Corvisartus quoque tactu peculiarem motum in pectore, qualem fluidum crassum sub ebullitione habet, animadvertebat. Exper. Ceruttius mihi de femina sexagenaria narravit, quae eundem habebat sensum, quasi thorax, ab abdomine resectus, huic tantum leviter impositus esset, atque quovis temporis momento delabi minaretur, unde vehementissima ipsi anxietas oboriebatur. Quae quidem symptomata omnia ex difficultate sunt repetenda, qua sanguis per angustata cavitatum cordis ostia traiicitur.

Cum hisce doloribus constringentibus sensus punctorius, tensorius, et lancinans coniungi solet, qui inde ab humero ad medium brachium usque, nonnunquam ad digitorum usque apices descendit, et similis in-

---

262) Testa *l. c.* p. 321.
163) Vid. Hufel. *Iourn.* B. XXIII. St. 5. p. 56.
164) Vid. Lieutaud. *l. c.*
165) *L. c.* p. 255.
166) *Samml. auserl. Abh.* B. XVII. p. 520.

terdum ei est, qui ab ictu electrico, partes, quas transit, stupefaciente, producitur. Dolorum vehementia impedit, quominus saepe aegroti ne verbum quidem proferre queant, et ne subito lapsu corruant, coacti sunt ab omni corporis motu statim abstinere atque quamlibet rem, quae prima ad manus est, fulcri caussa apprehendere. Quamobrem in gressu subito immoti consistere aliaque, quibus occupantur, negotia intermittere debent. Morbo inveterato aegroti multum levantur, aut brachiis supra caput sublatis, aut cum sedentes humerum fortiter sellae adprimunt, aut, quantum poterunt, antrorsum inclinant corpus. Lettsomus sub profunda respiratione torsionem serpentinam totius corporis tanquam symptoma eiusmodi aegrotis peculiare observavit.

Quae quidem molestiae quamvis graves sint, et quamvis cum respiratione dolores sint coniuncti, aegroti tamen diu et profunde sine dolorum incremento respirare possunt. Neque tussis omnino eos vexat. Omnia, quae attuli, symptomata aut diu mortem praecedunt, atque brevioribus, longioribusve intervallis aegrotum penitus relinquunt, aut brevi ante mortem sese manifestant.

Ad caussas, quae insultibus morbi occasionem praebent, referendi sunt vehementes et animi motus, et corporis exercitationes, itio adversus ventum, montium scalarumque adscensus, declamatio et vociferatio diu continuata etc. Nonnullas autem corporis exercitationes, v. c. equitationem et vectionem in curru per loca valde aspera, illi cordis vitio gignendo idoneas haud reperiri, attentione dignum est.

Primi morbi insultus brevi cessant, quiete corpori concessa; inveterati autem morbi impetus, quamquam sine manifesta caussa redeunt, tamen conversiones temperiei aëris atmosphaerici, ut inimius calor frigusque, noctis accessio atque concoctionis tempus aliquid ad renovandos morbi impetus facere videntur. Primis quoque diei horis morbus accedere solet, atque tunc eius impetus saepius per diem redeunt et pe-

riculosi fiunt. Anxietas enim in syncopen transit, aegrotus haud amplius sui conscius est, sensuum externorum et musculorum motui inservientium officio destituitur. Hic tamen aegrotorum status haud semper observatur, sed interdum in ipso morbi accessu vehementissima anxietate excruciantur, quasi criminis atrocissimi perpetrati furiis exagitentur. Pulsus valde debilis est vixque tactu percipiendus; frigidus sudor omnem corporis obtegit superficiem; caput antrorsum inclinatum est, facies pallet. Quae quidem symptomata aegrotum per aliquot temporis momenta, interdum per horam, per duas adeo, male habent. Nonnullis nausea simul, aliis vomitus movetur. Cessante insultu, id quod stimuli volatiles et potus roborans in plerisque solent promovere, multum aëris cum per superiora, tum per inferiora expellitur, unde aegroti aeque ac per alvi excretiones plurimum levantur. Videntur adeo per aliquot septimanas prospera uti valetudine, ita, ut in his liberis intervallis ad summum hypochondriaco malo laborare, sibi aliisque persuadeant, donec vehementior insultus vitam ipsorum prius finiat, quam periculosi morbi praesentiam suspicentur [167].

Interdum versus vitae finem insultus et debiliores et rariores animadvertuntur, respirationis molestiis semper remanentibus. Alii in hoc morbi stadio vehemente tussi vexabantur, nec nisi capite multum elevato poterant cubare. Alios haud superanda in somnum propensio male habebat, et soporosi facti apoplexia rapiebantur. Nonnullis latus sinistrum motibus palpitantibus concutitur, qui in dextro latere minus manifesti sunt. In universum brachium sinistrum dextro vehementius adfici videtur.

Quod iam in antecedentibus monitum est, omnia haec symptomata

---

167) Cons. ea, quae Illustr. Kreysigius de cordis vitiis mali hypochondriaci caussis disputavit.

non ossificatis solum valvulis cordis semper, ut effecta caussae, accedere, sed etiam iis aegrotis familiaria esse, in quorum cadaveribus aut ossificatae fibrae et cordis ipsius et arteriarum coronariarum, aut polypi, aut cordis dilatationes et similia reperta fuerunt, id vicibus repeto iteratis. E superioribus enim (§. 5.) patet, valvularum ossificationem raro adesse solam, sed plerumque aliis vitiis organicis, inprimis dilatationibus, polypis, lentis inflammationibus etc. iuncta reperiri, adeo, ut haud temere mirandum sit, qui fiat, ut in tanta impedimentorum, circulationi sanguinis obiectorum multitudine vita tam diu trahi, et tolerabili conditione transigi queat. Quam quidem rem omnes, qui de cordis morbis scripsere, norant quidem, sed explicare haud poterant.

---

§. 7.

Morborum historiae.

Iam liceat mihi, ad finem dissertationis properanti, duas adiicere historias morborum, qui duo praeparata pathologica, in museo academiae nostrae asservata, obtulerunt, ea, quae in antecedentibus de variis cordis, eiusque valvularum ossificationibus dicta sunt, commode illustrantia.

No. 591. catalogi, ab Exper. Ceruttio nuper evulgati, describitur cor insolitae magnitudinis. In valvulae mitralis margine nodulus osseus, magnitudine nucis avellanae repertus est: praeterea valvulae, inprimis versus sinuatam marginem, crassiores sunt atque nodosae. Cava cordis ita aperta sunt, ut non solum valvula Eustachiana atque Thebesiana, sed reliquae omnes in conspectum veniant.

Desumtum est hocce cor e viro sexagenario, qui temperamento cholerico, in irae excandescentiam prono, corpore gracili erat, atque

a tricesimo inde aetatis anno tussi chronica, vires ita exhauriente laborabat, ut phthisicus pronuntiaretur. Tussi hoc proprium erat, ut ipsam per intervalla horae dimidiae redeuntem vehementes ructus semper praecederent. Tussis finiebat reiectione liquoris aquei spumosi, cui interdum paululum sanguinis erat admixtum. Pectoris dolores rari aderant iique variabiles: aeque raro palpitatio cordis sentiebatur. Hinc mali sedes magis in hepate atque pancreate, quam in corde quaerebatur. Anno circiter aetatis quadragesimo haemorrhoidum molimina excitabantur, brevi post fluidarum, nec per reliquam vitam penitus cessantium. Hac usus valetudine multos transegerat annos, morbo ipsius nunc leviore, nunc vehementiore. Sexagesimo autem aetatis anno adfectio pectoris augebatur, sputo plus sanguinis continente, et copiosiore, palpitatione cordis et graviore et crebriore. In intestini recti exitu noduli in conspectum prodibant, fluxu haemorrhoidali ex aliquo tempore valde imminuto. Sub ultimum vitae tempus aegrotus pungente pectoris sinistri dolore excruciabatur, brevi denuo cessante. Tandem moriebatur suffocatione.


In cadavere pulmo dexter, si quam laxitatem exceperis, sanus, sinister laxus, leviter cum pleura concretus, et in superiori apice macula rosacea, volae manus magnitudine conspiciebatur. Hepar totum induratum, inprimis autem margo anterior dextri lobi hoc vitio laborabat; vesicula fellea admodum parva, penitus vacua, eiusque tunicae crassissimae; pancreas scirrhosum; venae haemorrhoidales sanguine turgidae.

No. 846. Cor admodum mole auctum, quod in basi sub atrio quatuordecim pollices Lipsienses, et prope apicem, qui rotundatus exit, decem pollices amplum est. Eadem ratione aucti sunt parietes, trabeculae carneae, musculique papillares. Ventriculi, inprimis dexter, ampliati sunt. Dexter ventriculus continet polypum planum, et firmum, qui in

arteriam pulmonalem exporrigitur. In dextro ventriculo valvulae mitrales, maiorem autem in modum semilunares crassiores repertae: praecipue autem anterior et posterior hoc vitio laborabant, quarum sinuatus margo admodum tumidus erat, interspersis ossificationis punctis. E posteriore valvula brevis eaque crassa excrescentia prodit, cui nucleus osseus rotundiformis, nucis avellanae magnitudine, et sursum versus aortam spectans, adhaeret. Foramen ovale nondum occlusum est.


Aegrotus viginti tres annos natus, post vehemens refrigerium, mense Februario superioris anni admissum, rheumatica abdominis inflammatione corripiebatur, quae venaesectione, emulsionibus oleosis, mercurio dulci atque epithematibus calidis quatuordecim dierum spatio ita leniebatur, ut non nisi rheumatici abdominis femorisque dextri dolores, adversus remedia externa rebelles, sed sensim sensimque calore aestatis accedente evanescentes, remanerent. Iam prius cordis palpitationem atque anxietatem perpessus, si somnum capere vellet, capiti admodum elatum situm tribuere debebat. Inter morbum novissimum observabat, si lecto surgeret, collaris angulum a quolibet cordis ictu concuti, vehementemque carotidum pulsationem. A medico suo, Exper. Haasio iuniore, qui summa cum laude artem exercet obstetriciam, interrogatus de hac adfectione respondit, a prima inde iuventute ipsi hanc cordis palpitationem sanguinisque versus caput turgorem iamiam molesta, ex aliquo autem tempore haec symptomata multum adaucta fuisse; quare ut sibi caveat a vehementibus corporis motibus, ipsum admonitum a medico esse. Florido erat ipsius cutis colore. Ante aliquot annos Pragae, cum opus faceret, (erat autem opifex acuarius) ictu vehementi eius pectus concussum erat, unde dolores pectoris, et serius sputum sanguinis oborti fuerunt. Anno aetatis decimo sexto usque ad octavum, quibus corpus celeriter increverat, frequenter peram militarem portavit, ipsius pectori admodum molestam. Reducem in patriam urbem

optima usum esse valetudine, quae nunc labefactata sit: a quolibet enim labore paululum acriore virium imbecillitatem sentiri: praeterea animum esse admodum demissum, iracundum, nec fortuna sua contentum. Medici consilia eo dirigebantur, ut sibi a vehementi corporis motu, a victu calefaciente, a vividioribus animi motibus, et a venere nimia (iuvenculam enim duxerat uxorem) caveret, cremorem tartari aqua solveret, eoque pro potu uteretur, denique subinde venae sectionibus exiguis copiam sanguinis imminueret. Cum neque rheumaticus femoris dextri dolor neque virium debilitas remediis adhibitis cederet, aegrotus ad alium confugiebat medicum, qui, cum eadem consilia dedisset, nihil quoque profecit. Quare pertaesus omnium omnino medicamentorum suam valetudinem, quae aerumnis atque variis vitae molestiis magis adhuc adflicta erat, plane non curabat. Sed mense Augusto auctis virium languore, palpitatione cordis atque anxietate, doloribus abdominis rheumaticis obortis, quos duodecim sanguisugis sibi applicatis lenire conabatur, noctibus insomnibus, pungentibus doloribus pectus quasi transfigentibus, tussi sicca et brevi excruciatus aegrotus non nisi antrorsum inclinato corpore, et quasi sedens cubare poterat, faciesque una cum pedibus intumuit. Denuo in auxilium vocatus Exp. Haasius, omnibus remediis incassum adhibitis, aegrotum fato suo eripere haud poterat, quippe qui pus exspuebat sanguinolentum, urinam per plures dies crassam atque turbidam excernebat, tandemque viribus magis magisque exhaustus asthmatico insultui succubuit. — Cadaver neutiquam valde emaciatum, facies cum artubus tumida conspiciebatur. Aperto pectore pericardium densius, sero luteo valde extensum, quo etiam pulmonum parenchyma abundabat; cor ingenti sanguinis coagulati copia plenum; arteriarum trunci vehementer inflammati; pulmonum vasa sanguinea sanguine mirum in modum turgentia; denique abdominis viscera sana reperiebantur.




J. F. Schröter ad nat. del et sc. Lipsiae.

Tab. I.




J. F. Schröter ad nat. del. et sc. Lipsiae.

Tab. II.



J. F. Schröter ad nat. del et sc.

Tab. III.



I. F. Schröter ad nat. del. et sc.